



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE SANCTIFICETUR NOMEN TUUM VENERABILI DEI
SERVAE MAGDALENAE CATHARINAE MORANO**

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR «Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua» (Mt 6, 9-10). Precationes hae, quae ad Dominicam orationem referuntur, quasque Magdalena Catharina Morano a pueritia usque discit, eiusdem mox animam ad altiora alliciunt. Talis habitus et haec consuetudo per totam ipsius vitam sunt producta. Eius docendi instituendive praeterea studium usque continuatur, in iuvenes et sorores religiosas versus. Venerabilis Dei Serva Carrei orta est, quod est Taurinense oppidum, die XV mensis Novembris anno MDCCCXLVII, Francisco et Catharina Pangella parentibus. Postridie eius diei sacro baptismate respersa est. Familia, quae variis calamitatibus vexata est, anno MDCCCLV patrem amisit, bello quidem saeviente, cum octavum agebat annum Magdalena. Prompta sane ingenio, scholam ad tempus relinquere est coacta, ut matrem iuaret, textricis artem agentem. Quamquam opus faciebat, catholicam tamen doctrinam diligenter excolebat atque decem annos nata sacram Eucharistiam primo suscepit, ex quo tempore ardentius sanctitatem bonaque opera concupivit. Studiis paulo post revocatis, necessariis quoque eam sustentibus, magistrae assecuta est diploma, cum antea in instituendi pueros arte se exercisset. Magistra posthac Montis Alti Taurinensis renuntiata, XII per annos totam se dedit ad pueros christiana ratione erudiendos, extra quoque scholae fines. Matre deinde in tuto collocata, religiosae vocationis revocavit propositum. Quapropter anno MDCCCLXXVIII est recepta in Filiarum Mariae Auxiliatricis Institutum ab ipsa Conditrice, scilicet a S. Maria Dominica Mazzarello. Prima vota religiosa anno MDCCCLXXIX, perpetua anno MDCCCLXXX Magdalena nuncupavit. Subsequenti anno in Siciliam missa est, ut in oppido, quod Trecastagni (Catanae) appellant, pupillarum Institutum moderaretur. Alteram ideo vitae partem init, quae septem et viginti annos extenditur et variis operibus dicatur. Anno MCMVII antistita est nominata in Sicula provincia modo constituta, in qua contendit et laboravit ut Dei regnum per adiumenta, scholam, eruditionem, opificia, proferretur, utque iuvenum condicio, mulierum potissimum, proveheretur. Catechetica actionem cum primis exercuit usque ad mortem, cum ab Archiepiscopo Catanensi hoc recepisset, ut tota urbe temperaret christianam eruditionem. Multos per annos iteratis cruciatibus correpta, cancro quodam affecta, qui secari non potuit, in vehementem febrim tandem incidit. Paucos post dies ad vitae finem pervenit, quem accepit laeta Patris obsequens voluntati, die XXVI mensis Martii anno MCMVIII. Sanctitatis fama, quam viva sibi ipsa conciliaverat, cum esset perfecta educatrix habita et optima antistita, mox percrebuit in ipsis exequiis celebrandis. Annorum processu ipsa minime de memoria decidit. Ideo eius religiosa Familia ab Archiepiscopo Catanensi postulavit ut canonizationis causa incoharetur, anno MCMXXXV. His a iure statutis peractis rebus, die I mensis Septembris anno MCMLXXXVIII, Nos ipsi declaravimus exercuisse Dei Servam heroum in modum virtutes theologales et cardinales cum iisdem coniunctas. Catanae anno MCMXCI de mira quadam sanatione celebratus est canonicus processus, quae anno MCMXLV occurrit, quaeque eiusdem Dei Venerabilis Servae intercessionis est adscripta. Eventu sueto more excusso felici cum exitu, die XXVIII mensis Ianuarii anno MCMXCIV Decretum super miro promulgari iussimus. Itaque, cum iter

apostolicum Catanam faceremus, beatificationis ritum die V mensis Novembris subsequentis, iri celebratum, statuimus. Hanc igitur hodie inter sacra diximus formulam, Italicum sermonem adhibentes: «Noi accogliendo il desiderio del nostro fratello Luigi Bommarito, Arcivescovo di Catania, di molti Fratelli nell'episcopato, dell'Istituto di Maria Ausiliatrice e di tutta la famiglia salesiana e di molti fedeli, e dopo aver avuto il parere della Congregazione delle Cause dei Santi, concediamo, con la nostra Autorità Apostolica, che la Venerabile Serva di Dio Suor Maddalena Caterina Morano d'ora in poi sia chiamata beata, e che si possa celebrare la sua festa, nei luoghi e secondo le regole stabilite dal diritto, ogni anno, il 15 novembre. Nel nome del Padre, e del Figlio, e dello Spirito Santo. Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibusvis obsistentibus». *Datum Cataniae, sub anulo Piscatoris, die V mensis Novembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana